Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 973
Quelle:
Copyright:

incipit: *Primo confessor dicat viro confitenti, quod removeat capucium sed mulieri non.* &c. non memoratur inter Opera Autoris, qui *Bononiae* in patria et *Ferrariae* Jus Canonicum magna fama docuit et obiit a. 1408.

XV. *fol.* 192. *Opusculum Peccatorum.* Constat prolixo loco ex *Innocentii* III. sive *Lotharii* Diac. Libello *de Miseria humanae Conditionis* sub ipsa Typographiae primordia edito, et rudibus rhythmis, *de Morte*, quorum extremus:

Flos nitet atque perit, sic homo pulvis erit.

XVI. *fol.* 193. p. 2. *De Decimis primicijs et oblacionibus.* Initium: *Decimarum solutionem et primiciarum* &c. Autor innotescit ex clausula: *Swadeo ergo cuilibet sacerdoti ut omni tempore decimas predicet et nunc pauperi Episcopo Aiacensi editori et collectori huius dicat Pater noster, qui compleuit Anno Domini M°. CCCC°. XXV°.* Episcopus is est *Andreas de Escobar* Hispanus primum *Megarensis*, dein *Civitatensis*, demum *Ajacensis* in *Corsica* Praesul, cujus Opera enumerat *Nic. Antonius Bibl. Vet. Hisp.* T. II. p. 155. Nostrum extat in *Tract. Tractat.* T. XV. P. 2. *fol.* 142. paullo aliter terminatum, nobisque scriptum dicitur: *at vestinanter per walr. Glonspach Cappelanum illustris principis domini Henrici* (divitis) *ducis bauarie &c. et pastorem in pleintinge Anno &c. 30°. dominica post natiuitatem marie.*

XVII. *fol.* 208. p. 2. Sine inscriptione *Sermo de Caritate* ad nescio quos *Reuerendos Patres* distributus in VI. *Considerationes*, quibus Dilectio Christianis, Clericis, Monachis, Praedicatoribus verbi Dei, Praelatis, Episcopis, beneficiorumque collatoribus commendatur. Textus praevius est illud *Job.* 1. c. 3. *Non diligamus verbo* &c. Initium: *Incipit ille seraphicus et ignite dilectionis plenus beatus Augustinus* &c.

XVIII. *fol.* 214. p. 2. Expositio brevis: *Quid representant nobis indumenta sacerdotalia in sacra missa.* Sequuntur et *Indumenta pontificalia.*

XIX. *fol.* 218. praecedente Tabula *Capp.* 32. *Incipit Summa minor Magistri Johannis de Bononia de confessione et multis alijs bonis.* Mutila est, sistitque in *Cap.* 26. *Caput* I. sic orditur: *Inprimis querat sacerdos confitentem. si sciat Pater noster. Aue maria. et Credo* &c. Excerptum videtur hoc Theologiae moralis Compendium ex majori *Poenitentiali*, quod Autor hic *Johannes de Deo Portugalensis*, ut ad calcem audit, et *Bononiae* Decretorum Doctor atque Canonicus a. 1247. septem libris complexus est. Adi *Oudinum* T. III. *col.* 178. et *Fabricium* lit. *D.* Ejus tamen in Morum materia judicio non per omnia stare velis.